



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. De illis, quibus competit jus eligendi Prælatos regulares.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

SECTIO VIII.

De Abbatum, seu Prælatorum Regularium electione, confirmatione & benedictione.

§. I.

De illis, quibus competit jus eligendi Prælatos Regulares.

DE jure communi talium Prælatorum electio pertinet ad collegium seu conventum illius Ecclesiæ Religiosorum, quibus de Prælato providendum est *c. 1. h. e. & c. cum dilectus 8. de consuet.* nisi per specialia privilegia aliter de talium promotione, & institutione cautum sit, quæ observari in quâlibet religione debent; neque tamen etiam in illis conventibus, ubi electio Prælatorum regularium juxta jura communia celebratur, omnibus hoc jus eligendi convenit, sed illis tantum, qui sunt vel tacite, vel expresse, saltem electionis tempore religionem illam professi, de cujus Prælato eligendo agitur *c. ex eo 32. §. in Ecclesiis h. i. in 6.* neq. Laici tantum conversi sunt, qui nec ordinati sunt, nec ad ordines suscipiendos destinati, qui ad eligendum non admittuntur, quamvis veri Religiosi professi sint; nisi etiam ab his in aliquo v. g. monasterio, aut Religione jus Capitulare legitime præscriptum sit, aut ex instituto suo non tam ad spiritualia, quam corporalia, in bonum Ecclesiæ præstanda, obligentur, uti sunt ordines militares, hospitales, ubi omnibus professis de jure competit jus eligendi; & quamvis *Clement. 2. de arat. & qualir.* nemini regulari Canonico jus eligendi

concedat, nisi in majoribus sit constitutus, ita ut saltem Subdiaconus sit, extendi tamen hæc constitutio non debet ad Monachos, quasi ob defectum ordinis sacri, si profecti fuerint, jus eligendi illis non competeret, quia *Clement. Illa* juris communis correctoria de aliis non loquitur, nisi de Canonicis, & consequenter ultra verba propria extendenda non est. Mendicantium tamen Ordinum Religiosis, si cum Auctoritate etiam Pontificiâ ad alios Ordines non mendicantes transeant, non conceditur jus eligendi in *Clement. 1. de Regular.*

§. II.

De iis, qui eligi possunt ad Prælaturas Regulares.

RESP. Ad Prælaturam Regularem, aut alia beneficia Regularia administrationem habentia nemo eligi potest, nisi Ordinem illum actu & expresse professus sit *c. cum in Magistrum 49. h. e. & c. nullus 28. eod. in 6.* non obstante quâcunque, quamvis longævâ, & diurnâ consuetudine *c. cum causam 27. h. e.* (ut ne scilicet cum damno, fortasse Religiosæ disciplinæ ad Magisterium Ordinis talis assumatur, qui nunquam illius Ordinis discipulus fuit, ut ait Pontifex) & quamvis ad simplicia beneficia regularia, quæ nullam administrationem habent, non requiratur actualis prævia professio, aut habitus regularis susceptio, sed illi etiam talium beneficiorum capaces sint, qui nondum quidem aut habitum susceperunt, aut ordinem professi sunt, ita tamen, ut ad hæc præstanda maneat obligati, ut patet ex citat. *c. cum causam. & ex Trident. sess. 14. c. 10. de reform. mend.*

L 2

tamen